

dat, disiectas colligat, deperditas recuperet, subditos oneribus belli non gravet, thesaurum bonis artibus augeat, pacem cum vicinis ineat, jura & privilegia oppidis donet, & nihil non faciat, quod ad patriæ ornamentum, civiumq; salutem & incrementum redundet? Et talis erat Barnimus I. Nam Rege Daniæ Waldemaro à Comite Svverinensi in venatione capto, ipse hoc intendebat, ut per vim sibi ereptas Civitates Demminum & Leuticum recuperaret. Quod tanto fecit successu, ut Princeps Rugiæ territus, ne vim pateretur quam metuebat, statim cum Barnimo foedus pacis sanciret. Idem ædificavit Gryphènhagium, Banoam, Primislaviam dicitur. Garcium Civitatem genuit & aluit. Stargardium jure Lubecensi instruxit. Dammium quod ferè prourbium Stetinense dixeris, muris cingi fecit. Gryphisvvaldum, ab Abate Eldenoënsi donatum, lucratus est. Colbatium Monasterium, à Marchionibus vicinis dissipatum, vindicavit. Cœnobium fœminium, ad urbis huius pomæria, condidit: Itemq; aliud Treptow ad Regam: itemq; aliud Vcermundæ, quod tandem Iasnicense fieri cœpit. Colbergam Civitatem Episcopatui Camminensi largitus est, multis annexis privilegijs. Et tu insigne templum Collegiatum, quod ex Divæ Mariæ nomine audis, urbis hujus nobile καμήλων, tu, inquam, quod pedem habes, quod ampla parietum latera, quod caput turre cristatum geris, huic Barnimo Bono debes, qui parens tuus & fundator est. An

B 2

non,